

Gualterium Scottum” anno MDLII. prodiit: subscriptae sunt praefationi calendae Februariarum. Robortellus in Prometheo, Septem adversus Thebas, Persis aliquot, ut dicit, codicibus usus est: Orestae et Supplicum codicem Patavio a Mariano Savello transmissum acceperat, quem satis antiquum et in scholiorum singulari volumine a se editorum praefatione antiquissimum dicit. Is codex aut ipse Mediceus erat (nam quae differunt, a quadam Robortelli negligentia repeti posse videntur) aut certe Mediceo simillimus. Nonnulla Robortelli partim, partim Michaelis Sophiani coniecturis mutata sunt.

*Turn.* Editio Adriani Turnebi Parisiis eodem anno MDLII. impressa. Is Aldino exemplari usus est et trium illarum fabularum codice ab Aimaro Ranconeto sibi commodato, quem eundem ac Parisinum C. fuisse Elmsleius et Hermannus putarunt. Orestae et Supplicum nullum habuit codicem et ne editionem quidem Aeschyli Robortellianam: sed habuit scholia Graeca a Robortello eodem anno MDLII. “ex officina Erasmiana Vincentii Valgrisii” edita, quorum praefationi Robortellus idus Novembres anni MDLI. subscripsit. Ex his scholiis Turnebus nonnulla sumpsit, plura coniecturis mutavit.

*Vict.* Petrum Victorium codicibus usum esse Mediceo, Florentino, Farnesiano (usus est autem non diligentissime) supra diximus. Eius cura emendatas Aeschyli tragoedias Graecorumque interpretum adnotationes edidit Henricus Stephanus anno MDLVII. Additae sunt ipsius Stephani adnotationes, in quibus et coniecturas suas protulit et saepius varias lectiones, quibus simpliciter *γράφεται* adscriptum est. Nihil fere in eis invenitur quod hodie non sit aliunde notum: vidisse autem se ait Stephanus exemplaria non pauciora quindecim, partim Venetiis, partim Florentiae, partim Romae, partim etiam Neapoli, sed in quorum bona parte tantum primae tres tragoediae haberentur, h. e. Prometheus, Septem adversus Thebas, Persae.

Ceteras editiones enumerare nihil opus est.

Ioannis Aurati Iosephique Scaligeri coniecturas Hermannus sumpsit ex libro Spanhemiano bibliothecae Berolinensis regiae. Descripserat eas Ezechiel Spanhemius Windsorae ex exemplaribus editionis Victorianae sive Stephanianae quae Isaacus Vossius pos-